



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-840803-p0001-6

DFG

25
PROGRAMMA

*Pr. N. num. 6
15*
CHRIST. NIC. SCHLICHTKRULL,
J. V. D. ET PROF. PVBL. ORD. AC FACVLT. JVRID.
PRO-DECANVS
AD PRAENOBILISSIMI ET DOCTISSIMI *1777, 4*
DOMINI
DAVID WILHELM
WARNEKROS
I. V. CAND. REGIAE ACADEM. SYNDICI ET SVMMI
REGBI TRIBVN. ADVOCATI
DISPV TATIONEM IN AVGVRalem

P. 208
QVAE SISTIT QVAESTIONEM:
AN ACTIO PIGNORATITIA DIRECTA
CONTRA TERTIVM POSSESSOREM
INSTITVI QVEAT?


DIE XVI Ivnii MDCCCLXXVII IN AVDITORIO MAIORI HABENDAM
OMNES ET SINGVLOS STVDIORVN FAVTORES, HOSPITES
AC CIVES ACADEMICOS
OMNI, QVA DECET, HVMANITATE INVITAT
SIMVLQVE
IN LEG. VNIC. COD. ETIAM OB CHIROGRAPHARIAM
PECVNIA M ETC.
COM MENTAT V R.

GRYPHISWALDIAE,
Litteris A. F. RÖSE, Reg. Acad. Typogr.



PROGRAMA
640
CHRIST. NIC. SCHLICHTKRUT
I. A. D. ET PROS. LATE. ORG. DE FACULT. IAVIENS.
PRO. DECANUS
AD PREBENDARISSIMI ET DOCTISSIMI
DOMINI
DAVID WILHELM
WARNERROS
I. A. QVND. REGLAE VOCUM. SYNDICI ET SUMMI
REGII TRIBUN. ADACVITI
DISPATATIONEM INAGARALEM
641. SISTIT DISPATATIONEM
AN ACTIO PIGNORATITIA DIRECTA
CONTRA TERTIA POSSESSOREM
INSTITUT. GAVES.
DE XIXIANI MEDICINAE IN ACADEMIA MAGDEBVRGAM
OMNES ET SINGULARES STUDIORVM FACULTATIS, HOSPITALES
VC CLAVIS ACADEMICOS
OMNI, GAV. DECET, HUMANITATE INVITAT
SISTIMUS
IN LCO. ANIC. COD. FILM. DE CHIROGRAPHINIS
PECUNIAS ETC.
COMMENTATOR.
—

GRATHISWALDIE
Tunc 8. 4. 1602. Reg. acit. Thes.





§. I. *litteris et alijs differuntur
etiam iudicis publici*

II.

Pignus, in securitatem crediti traditum, qua traditione creditor actualem rei possessionem et jus in re consequitur, praestata a debitore plenaria solutione, vel extinto quouis alio modo debito, huic restituendum esse, inter omnes constat. L. 6. ff. Quib. mod. pig. vel hypoth. solu. Haec regula naturae contractus pignoratitii et fini, qua propter pignus traditum, alias apprime conueniens, eo casu — nam reliquos, a scopo meo alienos, silentio praetereo — fallit, quo, praeter debitum, ob quod pignus constitutum, aliud sic dictum chirographarium, i. e. pro quo pignus datum non est, contractum esset. Illo licet a debitore soluto, creditori tamen permisum est, ob hoc pignus retinere, si debitor solutionem debiti chirographarii praestare recusat. Extat hac in re unica lex Cod. *Etiam ob chirogr. pec. etc. ita disponens: At si in possessione*

*co*id**

a 2

fueris

fueris constitutus: nisi ea (quoque) pecunia tibi a debitore reddatur, vel offeratur, quae sine pignore debetur, eam restituere propter exceptionem doli mali non cogeris. Iure enim contendis, debitores eam solam pecuniam, cuius nomine ea pignora obligauerunt, offerentes, audiri non oportere, nisi pro illa etiam satisficerint, quam mutuam simpliciter acceperunt: Quod in secundo creditore locum non habet, nec enim necessitas ei imponitur, chirographarium etiam debitum priori creditori offerre. In hanc legem, a pratico vsu haud viduam, prout moris est et limitati programmatis cancelli finunt, scribere, non abs re fore opinor.

II.

Ratio hujus legis, quam verba: *propter exceptionem doli mali* luculenter satis innuunt, in eo consistit: quod, ut verbis **CIVIACII** in *Paratit. in libr. Cod. Justin. Lib. VIII. Tit. XXVI.* utar, *improbe faciat debitor*, qui tantum aes alienum dissoluit, quod sub pignore debet, *quia hoc facere videtur non tam sua sponte et fide bona*, quam *coactus vinculo et nexu pignoris*, quo forsitan indiget, plane hoc ipso demonstrans, se vix unquam id exsoluturum, quod sine pignore debet, *quae improba mens merito coercetur retento pignore etiam ob aes alienum chirographarium, tametsi propter id obligatum non sit*. Haec legis ratio in debitores nimis injuria est. Non semper penes eos dolus et animus decipiendi existit; sed defectus paratae pecuniae haud raro, vel dura egestas et propria, quae debitorem premit, indigentia, eum impedit, quominus utraque debita vna solutione extinguere queat. Hoc si consideramus, rationem legis inadaequatam esse censemus, et nescio,


fcio, qua juris specie lex dolum malum in debitorem suppone-re potuit, cum tamen praesumtio doli et fraudis alias sit exclu-siva. Vera, vt mihi videtur, legis ratio in eo ponenda est: quod retento pignore, necessitas soluendi debitum sic dictum chirographarium fiat arctior et pressior: lites, quae alias solu-tionem remorantur, vel evitentur, vel citiores finiantur, cre-ditor autem interea securus reddatur et finita denique lite id ha-beat, quod alias est in pignoris capione. Nemo has rationes fculneas judicabit et legem, quasi iniquam et omni prudentia nomothetica destitutam, vituperabit; quis enim promtam acceleratamque, quam lex assequi intendit, justitiam, quae si-mul fidem publicam, in promouendis negotiis pecuniarii ne-cessariam, seruat, vituperabit? Et licet legis dispositio natu-rae et indoli contractus pignoratitii §. I. et juris retentionis, quod, quatenus est legale, vel ob verionem, vel impensas in rem factas, vel operas et facta, intuitu rei praestitas, tantum exerceatur, CARPZO v. P. II. Conf. 25. Def. 24. HERING de retent. in deposito Seçt. I. §. 16. non conuenit, a juris tamen analogia ob graues recedere rationes prudentiae legislatoriae non aduersatur.

III.

Lex autem creditor iuitu crediti chirographarii nullum tribuit ius in re, quod scilicet radicatum quasi esset in ipsa rei substantia, in pignus quondam concessae, sed nexus pigno-ris potius, praestita solutione debiti, ob quod datum est pi-gnus, plane tollitur et nil, nisi ius retentionis ob creditum chiro-grapharium remanet creditor. Hinc consequens est: 1) quod ad obtainendam indemnitatem creditori retinenti non detur

a 3

actio



actio pignoratio contraria: Nec II) amissa rei possessione huic concedenda sit actio quasi seruiana contra tertium rei possessorum. Id tamen per se patet, creditori competere vsum interdictorum pro retinenda vel recuperanda possessione introductorum, contra eum, qui injuste creditorem in quieta possessione turbat, vel eum rei possessione priuatus est: Quod III) excitato a debitore concursu, intuitu crediti chirographarii, ob quod in sui securitatem pignus retinuit, locum in tertia classe inter hypothecarios obtinere nequeat creditor retinens: Et denique IV) quod suberto in foro juris Lubencensis concursu, creditor retinens extra concursum, ex pignore retento satisfactionem suam petere nequeat.

Secundum legis tenorem, omnes omnino creditores in re quavis in securitatem crediti tradita, hoc licet extincto, jus retentionis exerceant ob debitum chirographarium nondum solutum. Hinc quantum mihi videre licet, I) creditori jus ob debitum chirographarium retinendi instrumenta vel documenta, in causam pignoris data, hac licet extinta, denegandum non est. II) Nec creditor, in bona debitoris sui ob certum et nominatum debitum missus, quae missio juxta praescriptum iuris romani jus pignoris operatur, L. I. Cod. de Praetorio pign. illo quamvis soluto, exmittendus est, subsistente adhuc alio debito chirographario. III) Nec mandatis poenalibus, aut alio modo adigendus est locator, ut pecuniam in securitatem contractus locati conducti a conductore solutam, huic, contractu finito, restituat, licet conductor omnibus suis obligationibus, ex contractu ortis, satisfecit, renuens autem solutionem debiti chiro-

chirographarii, nullam relationem ad contractum locati conducti habentis. Ne autem pecuniae assecurationis retentio, quae in quantitate, ipso jure diuisa, consistit, in iniquitatem abeat, modus tenendus et locator conuenientibus cogendi mediis adigendus est, vt, quod plus est in pecunia assecurationis, quam in credito chirographario, conductori restituat. Si autem IV) plus esset in hoc, quam in illa, fructus tamen, quos ex praedio rustico conductor percipiendo suos fecit, vel res ab eo in praedio urbano inuectas et illatas, retinere non potest locator, quia fructus aequo ac inuecta et illata conductoris nunquam possedit; sine possessione autem non datur pignus, cui handhabend Psand, nec retentio. Et quamvis alias conductor in possessione et retentione praedii conducti tuendus est, donec ipsi pecunia assecurationis a locatore restituatur: V) haec tamen tuitio conductori, cui ex natura contractus locati conducti nullum in praedio conductorio competit jus in re contra locatorem, debitum chirographarium soluere detrectantem, deneganda est, nisi conductori in praedio conductorio expressa constituta sit hypotheca in securitatem pecuniae, assecurationis causa solutae; tunc, hac licet restituta, conductori tamen jus competit retentionis ob debitum chirographarium a locatore nondum solutum.

Lex, de qua sermo est, creditori possidenti ob creditum chirographarium, nondum solutione extinctum, pignoris retentionem vindicat in sui majorem securitatem et quo citior ipsi praefetur solutio §. II. Hoc posito, sequitur, vt I) creditor



ditor hypothecarius, qui scilicet non possidet res, in quibus ipsi securitatis majoris consequendae causa jūs reale, nulla accedente traditione, constitutum vel promissum est, jus retentionis ob debitum chirographarium, extincto hypothecario, petere, et ope judicis aequi nequeat. Nam retentio, quae est continuatio possessionis, non est petenda, sed actu exercenda et magis in factō, si ita fas est loqui, quam in jure consistit. Porro creditor, qui II) accepta solutione debiti, cuius causa pignus datum erat, hoc debitori restituit, ob debitum chirographarium nondum solutum, pignus repeterem nequit. Et quamvis III) pignus semel retraditum, ex causa depositi, commodati etc. ad pristinum creditorem reuerteret, huic tamen ob creditum chirographarium nulla concedenda est retentio contra deponentem, commodantem etc. retraditionem rei depositae, commodatae petentem: Nec, si quid video, IV) jus retentionis competit creditorī, qui ob diuersa credita, diuersa accepit pignora. Vno extincto, pignus hujus causa datum, ob alterum creditum, nondum solutum, retinendum non est. Nam pignus intuitu hujus crediti, scilicet nondum soluti, datum, creditorī securitatem jam praefstat et necessitatem reluendi imponit debitori. Ponamus autem V) pignus, ob alterum debitum datum, rem esse alienam et inscio, vel invito domino in pignus concessam, vel debitori propriam, ast penes creditorem, casu fatali, vel ejus culpa leuissima, quam is, vti inter omnes constat, non praefstat, fuisse amissum; tunc creditor vtique retinet quod supereft pignus ob creditum nondum solutum, cuius causa res, ast aliena, in pignus data, aut casu quae amissa est. Nec denique creditorī licet, VI) uno extincto debito

TOMUS

debito, pignus pro hoc datum retinere, et alterum pro altero debito, nondum soluto, constitutum, retradere. Quinimo VII) pignus restituendum est, praestita solutione debiti, ob quod datum, quamvis creditor alterum debitum hypothecarium solutione nondum extinxit. Lex enim creditori tantum ob debitum chirographarium, nequaquam ob hypothecarium pignoris retentionem permisit, nec ratio hujus legis finit, ut creditori ob debitum hypothecarium pignoris retentionem concedamus, quippe qua ad consequendam citiorem solutionem debiti hypothecarii non indiget, dum possessionem et distinctionem rerum, hypothecae nexus sibi deuinctorum, petere et his adhibitis consequendae solutionis causa mediis, sibi ipsi acceleratam satisfactionem praestare queat.

VI.

Si verba legis intuemur et cortici verborum inhaeremus, non nisi ob debitum chirographarium, quod est pecuniarium, creditori concedenda esset pignoris retentio. Nam lex expresse de pecunia, neutiquam de alia quadam re, a debitore praestanda, loquitur, et eo magis ad debitum pecuniarium restringenda videtur, quo certius est, quod lex a theoria juris recedat, §. 2. et exceptionem a regula §. 1. hinc irregularitatem, magis restringendam, quam amplificandam, constituat. Ast nihilominus opinarer, quod creditori etiam pignoris retentio liceat, quamvis creditum non sit pecuniarium. Ratio legis, quae applicationem legis ad utrumque casum permittit, extenuam interpretationem fere exigit. Retento pignore debitoris

b

obli-

obligatio praestandi rem debitam, arctior fit atque pressior et per hanc retentionem otiosae lites de re praestanda, vel plane evitantur, vel citius finiuntur. Huic accedit, quod vocabulum pecunia in jure romano hoc significatu veniat, ut quaevi res corporalis, mobilis et immobilis, fungibilis et non fungibilis, quae in patrimonio nostro existit et aestimationem aut pretium admittit, intelligatur, *L. 5. ff. de V. S.* Nec verba, nec ratio legis obstant, quo minus vocabulum, pecunia, in sensu suo scientifico et latiori hoc loco accipiamus.

VII.

Chirographarium creditum, ob quod creditor pignoris retentionem exercere cupit, certum et liquidum in regula esse oportet. Quum autem alias creditor i retentio rei alienae ob praeteniones ratione quaestio*n* an liquidas, intuitu quaestio*n* quanti vero illiquidas, jure permitti soleat, usque dum dominus rei retentae cautionem praestitit, *LEYS. Spec. 175. Med. 3.* et *L. 5. ff. de flatu liberis* suboritur quaestio: an creditori, ob creditum chirographarium, ratione existentiae certum, intuitu quanti autem adhuc illiquidum, competit retentio pignoris, usque dum a debitore praestita sit cautio, et reputarem, quod retentio in substrato casu ipsi deneganda sit. Concessa pignoris retentio ob debitum chirographarium vndeque liquidum, jam est declinatio a regula, in causa retentionis alias obser-vanda §. 9. Irregularia autem non sunt extendenda, sed valde li-mitanda. Contra hanc regulam impingeremus, si creditori pignoris retentionem ob debitum chirographarium, adhuc

ratione

ratione quanti illiquidum, concederemus et tali modo irregularia extendere vellemus. Ratio legis, in dolo debitoris, solutionem debiti chirographarii renuentis, posita, hanc neutiquam admittit extensionem. Quis enim sine iniquitatis vitio, dolum imputabit debitori, solutionem debiti illiquidii reluctanti? fane nemo. Nec vitio mihi vertendum erit, a causa depositi, ad causam pignoris argumentum quoddam adminiculans desumere. Iura scilicet, prout inter omnes constat, depositario rei depositae compensationem et retentionem ob praetensiones illiquidias denegant. *L. pen. Cod. Depos. L. vlt. §. I. Cod. de compenſ.* Pignus, soluto ob quod datum est debito, est quasi depositum et pignoris, a debiti nexu liberati repetitio, aequa liquida est, ac rei depositae repetitio. Id autem per se patet, quod, existente debito chirographario plane liquido, creditor ad pignoris restitutionem non compellendus fit, licet debitor satisfactionem etiam exquisitissimam offerret. Nam plus est securitatis in re, quam in cautione. *L. 25. ff. de A. I.*

VIII.

Huic quaestioni: an scilicet ob debitum chirographarium illiquidum detur pignoris retentio? altera cognata est, nimirum, utrum creditori licet, ob debitum chirographarium conditionale, aut in diem conceptum, nondum existente conditione aut die, pignoris retentionem sibi vindicare. Et negativa mihi arridet decisio. Incertum enim est, an conditio, scilicet affirmativa possibilis vel casualis, vel mixta, in posterum existat et hinc ratione existentiae ipsum debitum conditionale adhuc est

b 2

incer-



incertum. Haec autem incertitudo debiti chirographarii conditionalis pignoris retentionem excludit, §. 7. Contrarium tamen eo obtineret casu, quo conditio est potestatiua ex parte debitoris, is autem continuas in adimplenda conditione nectit moras. Nemo sane, hoc supposito casu, creditori pignoris denegabit retentionem, quippe quae efficit, ut obligatio debitoris adimplendi id, quod est in conditione potestatiua, fiat pressior et arctior. Quod de debito chirographario, ad conditionem casualem et mixtam adstricto, huc usque dictum, valet etiam de debito chirographario, in diem incertum, qui est pro conditione, concepto. Si autem dies certus est, videtur quidem, creditori pignoris retentionem exercere posse, quamuis dies nondum venerit, quia certum et indubium est, diem venturum. Ast si fatendum, quod fentio, creditori deneganda est ob crediti chirographarii, in diem certum concepti, die tamen non existente, pignoris retentio. Lex, quam explicamus, in verbis, *quam mutuam simpliciter acceperunt*; luculenter satis innuit, legislatorem debitum chirographarium purum supposuisse, idemque ratio legis expressa et in dolo debitoris posita, qui autem debitori, ante diem solutionis praestationem detrectanti, imputari nequit, satis abunde euincit. Et ni omnia me fallunt, lex generatim hanc statuit regulam: vbi debiti chirographarii non datur solutionis instans exactio, ibi non datur ob debiti chirographarii existentiam pignoris retentio.

§. IX.

§. IX.

A regula, quam *L. unica Cod. etiam obij chirogr. pet.* suppediat, lex ipsa fecit exceptionem intuitu secundi creditoris, solutionem debiti hypothecarii offerentis. Casus, quem lex supponit, hic est: Sempronius, qui est creditor hypothecarius a Titio, suo debitore, Cajo, qui ab eodem debitore est creditor hypothecarius et chirographarius, solutionem debiti offert hypothecarii: Cagus autem hanc oblatam solutionem acceptam ferre, et Sempronio pignus cedere recusat, nisi is simul ipsi praefet solutionem debiti chirographarii; tunc lex sua decisione easum ita terminat: Sempronius a solutione debiti chirographarii liber, Cagus autem obstrictus est, solutionem debiti hypothecarii acceptam ferre et jus suum pignoris in Sempronium transferre. Nam is neque personaliter obligatus est ad soluendum debitum chirographarium a Titio contractum, neque illi dolus imputari potest, si debitum alienum, inter quod et hypothecarium, cuius salutionem pro saluando suo pignoris jure offert, nullus intercedit nexus, extinguere recusavit. Cagus autem solutionem debiti hypothecarii ratam habere et successionem in jura pignoris Sempronio linquere debet, salua tamen pro consequenda debiti chirographarii solutione contra Titium actione personali, quia leges omnes omnino creditores hypothecarios obstrictos judicant, jus hypothecae et pignoris secundo creditori hypothecario linquere, qui, pro saluando suo pignoris jure, iis solutionem realiter offert. *L. 6. 12. §. 8. 16. 17. in fin. et 21 ff. Qui potior. in pign. L. 3. ff. de dislr. pignor. L. 1. et 3. Cod. de his, qui in prior. cred. loc. succedunt.*

b 3

§. X.

§. X.

Quod de secundo creditore dictum, valet etiam de fidejus-
sore, creditori hypothecario solutionem debiti hypothecarii,
pro quo intercessit, offerente. Fidejussor obstrictus non est,
creditori, praeter debitum hypothecarium etiam chirographa-
rium, quod forsan debitor principalis contraxit, soluere, nec
creditor eo obtentu cessionem pignoris declinare potest, quod
ipsi, praeter debitum hypothecarium, etiam chirographarium
soluendum sit, pro quo tamen fidejussor in se non suscepit
cautionem. Secus, si hanc in se suscepisset: tunc vtrumque
debitum, tam hypothecarium, quam chirographarium una
solutione extinguere, aut finere debet, ut creditor, illo solu-
to, hoc autem non exticto, pignus retineat.

§. XI.

Idem obtinet eo casu, quo debitor dominium pignoris me-
diante venditione in tertium, simul cum onere reliundi pignus,
transtulit. Jura emtoris potiora esse nequeunt, quam jura
venditoris apparent. Illi itaque sicuti huic, incumbit obligatio
soluendi debitum tam hypothecarium, quam chirographarium,
quod contraxit venditor, aut pati debet, ut creditor, illo licet
exticto, hoc autem nondum soluto, jus retinendi pignus ex-
erceat.

§. XII.

Haec retentio nulli dubio obnoxia est eo casu, quo fide-
jussor aut emtor proprium, quod contraxerunt debitum chiro-
grapharium soluere cunctantur. Ob hoc pignus retinere cre-
ditori

ditori licet, quamvis fidejussor debitoris principalis et emitor venditoris debitum hypothecarium solutione extinxit.

§. XIII.

Creditori tamen, ob debitum chirographarium pignus retinenti, data non est facultas distrahendi pignus, pro consequenda ex pignoris substantia, sua satisfactione. Eximia hac in re apparet inter creditorem pignoratitium et retentorem pignoris differentia. Ille, existente casu morae, pignoris distractionem, quippe quae jam latet in idea pignoris, petere et vrgere potest. Hic autem pignoris retenti distractio nem sibi arrogare nequit, et si hanc sibi sumisset, dominus rei retentae illam, tanquam nullam, impugnare, et rem ab em tore vindicare potest.

§. XIV.

Retentio pignoris ob debitum chirographarium praexistens, exulat, si creditor expresse promisit, se pignus, soluto debito hypothecario, dein contracto, restituturum. Haecce autem promissio non obstat, quo minus creditor pignus, soluto debito hypothecario retinere queat, ob debitum chirographarium, post hypothecarium, contractum. Similis est hic casus illi, quo creditor exceptioni compensationis renunciauit. Haec renuntiatio excludit compensationem praexistentis crediti, cum debito dein contracto, eamque tamen admittit, si debitor jam subsistente debito fit creditor sui creditoris. Arg. L. 3. Cod. de Nouat. et arg. L. vlt. ff. de transact.

§. XV.





zotim 29 aliquidq ztold §. XV. obit aliusup , reol horib

Vltimo loco hoc vnicum addendum censeo, nempe, quod emtori retentio rei, sub pacto de retrouendendo emitae, competit ob debitum chirographarium, quo ipsi deuinctus est venditor, qui jure suo, ex pacto de retrovendendo quaesito, vti et rem venditam reemere cupit. Hic consequentia a minori ad majus valet affirmativa. Si enim creditori pignoratitio jam data est facultas, consecuta solutione debiti hypothecarii, pignus ob creditum chirographarium, nondum solutum, retinendi, quis idem jus emtori, modo reuendori, denegabit? Hujus, tanquam domini jura sine omni dubio potiora sunt, quam creditoris pignoratitii, qui jure dominii destitutus est.

Hic subsisto et priusquam id, quod mei est officii, expediām, curriculum vitae

a doctissimo Domino Canditato

Academiae Nostrae Syndico meritissimo

D O M I N O

DAVID WILHELM WARNEKROS

mihi exhibitum, prout moris est, publice communicare placet

* * * * *


Primam adspexi lucem Sundiae 1743 d. 23 Jun. natus patre Friedr. Christoph. Warnekros, Mercatore, et matre Juliana Ilseabe ex gente Lepeliana. Prima optimorum parentum, nunc inter coelites triumphantium, cura fuit, vt a teneris bene ac honeste me educarent,

nihilque

VX 2

nihilque omittentur, quod ad formandum animum moresque conducere posset. Quare ut fidei christianaee capitibus et humaniorum litterarum initiiis imbuerer, privatis me traditerunt scholis, quibus praeparatus 1754 Gymnasium Sundense frequentare coepi, vbi fidelissima institutione virorum cum laude docentium, Sub-Rect. Pomer Eschii in secunda, et Con-Rect. Wackenroderi, nec non Rect. Mag. Büttneri in prima classe ut mihi licuit, qui elegantiores litteras indefessò studio trididerunt. Jactis his fundamentis, 1762 per Servestum, Deßaviam, Lipsiam, aliaque oppida, quae hic commemorare nihil attinet, Jenam profectus fasces academicos tunc temporis tenente Viro Magnifico Laur. Jo. Dan. Succovio d. 5 Maii in numerum studiosorum sum receptus. In hac Musarum sede per tres et dimidium annos scholas Doctissimorum, scientias ibi profitentium Virorum frequentauit. In philosophicis, mathematicis, filio cultori, antiquitatibus et medicina legali praeceptores naclii sum Viros illustres ac celeberrimos, Darjesium, Schlettweinum, Succovium, Klotzium, Imman. Walchium et Faselium. Praelectionibus in omnes jurisprudentiae partes Virorum Excellentissimorum, Consultissimorum, Hellfeldii, Car. Achat. Ludov. Schmidt, Joach. Erdm. Schmidt, Joh. Ludou. Schmidt, Ravii Möckerti, Tittelii, Müllerii et Oeltzii interfui.

Elapo integri et dimidi anni spatio 1763 durantibus feris autumnalibus amicis quibusdam suorum et comitibus iter per Franciam institui, quod per Saalfeldiam, Rudolphopolin, Coburgum, Bambergam, Forchheimiam, Erlangam, Noribergam, Schwabacum, Weissenburgum, Pappenheimiam, Onolsbacum, Uffenbacum, Heribolin, Schweinfurtum, Hilperhusiam, Schleusingam, Ilmenavium, Arnstadium, Erfordiam et Vinarium per aliquot hebdomatum inter-



valla feci, in quibus singulis locis aditus ad inclytos quoque viros hanc
sine fructu mihi patuit.

Mense Decembr. 1765 per Vitembergam, Berolinum aliaque
his interjecta loca ad patris lares reversus, celebrem hanc Musarum
fedem petii ac a Viro Summe Venerando Schuberto, t. t. Rectore Ma-
gnifico, cuius prae maturam mortem nemo non semper lugebit, civi-
bus academicis sum adscriptus. Hic praelationibus Viri experientissimi
Archiatri Westphal in collegio diaetetico et imprimis consultissimi
Schlichtkrullii, Brabeutae mei, in collegio practico frui mihi con-
tigit. Circa finem anni 1766 summum Regium Tribunal dignum
me judicavit, vt in numerum Aduocatorum reciperer. Ex hoc tem-
pore ad causas in judiciis orandas accessi. Cum vero vita academica
mihi semper arriserit, inclita facultas juridica praelationes instituere
gratiosissime petenti mihi indulxit, quod pia mente semper venerabor.
Contigit deinde, vt anno 1775 munus Syndici Regiae Academiae et
Judicis Praefecturae Eldenaviensis mihi demandaretur. Tandem il-
lustrem hanc facultatem adii, vt praefititis praeflandis summos in jure
honores mihi conferret, qua par est ratione, rogans.

* * *

Praefitit jam omnia doctissimus dominus Candidatus, quae
statuta Facultatis nostrae a quo quis, Doctoris in utroque jure
gradum ambiente, exigunt atque desiderant. Superauit cum
laude examen sic dictum rigorosum. Recitauit cum applausu
suas lectiones cursorias, et nil insuper restat, quam ut disserta-
tionem suam inaugurem *de Actione pignoratitia directa contra*
tertiuum possessorum, proprio marte elaboratam, publice defendat
et

et dein in praemium eruditionis suae titulum gradumque honoris doctoralis consequatur. Huic solemni actui ut *Magnificus Dominus Rector, generosissimus Regii Dicasterii Dominus Director, viriusque illufris Collegii Proceres, amplissimus urbis Senatus, sacerdotiue reuerendi Ministerii patres, nec non generosa nobilissimaque Studio-rum Juuentus* interesse suaque honorifica praesentia eum ornare velint, omni qua decet animi submissione meo et Candi-
dati mei nomine inuitio atque contendeo.




V D
A 8

ULB Halle
005 372 003

3



Farbkarte #13



Pr. num. 6
15

GRAMMA
 QVO
C. SCHLICHTKRULL,
 PVBL. ORD. AC FACVLT. JVRID.
 RO - DECANVS
 BILISSIMI ET DOCTISSIMI
 OMNINI 1777, 4
**WILHELM
 NEKROS**
 E ACADEM. SYNDICI ET SVMMI
 TRIBVN. ADVOCATI
 ONEM IN AVGVRALEM
 STIT QVAESTIONEM:
**GNORATITIA DIRECTA
 RTIVM POSSESSOREM
 STITVI QVEAT?**
 VII IN AVDITORIO MAIORI HABENDAM
 STVDIORVN FAVTORES, HOSPITES
 IVES ACADEMICOS
 ET, HVMANITATE INVITAT
 SIM VLIQVE
 ETIAM OB CHIROGRAPHARIAM
 CVNIAM ETC.
 M E N T A T V R.
 PHISWALDIAE,
 RÖSE, Reg. Acad. Typogr.

